

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Georg Mejer Georgius Fabricius

**Disputationum Physicarum Decimasexta. De Elementorum Qualitatibus**

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742736814>

Druck Freier  Zugang





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn742736814/phys\\_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742736814/phys_0001)

DFG

R. U. phil. 1609. 10.

12.99

35 1717





*Disputationum Physicarum*

DECIMASEXTA.

DE  
ELEMENTO-  
RUM QUALITATIBUS.

*Quam*

Divina adspirante gratia

In Inclita Academia Rostochiensi


SUB PRÆSIDIO

M. GEORGII MEIERI  
*Duderstadensis Saxonis.*

Tuebitur

GEORGIUS FABRICIUS  
*Slesvicensis*

*Ad diem 11. Iulij horis & loco consuetis.*



Rostochij Typis Myliandrinis Anno 1610.

CLARISSIMO,  
DOCTISSIMO, EXCELLENTISSIMO  
ET EXPERIENTISSIMO VIRO

DN. MATTHIÆ CARNARIO  
Medicinæ Doctori, Illustrissimi Sletvici  
& Holsatiæ ducis archiatro celeberrimo.

NEC NON

*Amplissimis, spectatissimis, virtute doctri-  
nâ ornatisimis, rerumq; usu multiplici conspicuis*

DN. HIERONTMO MOLLERO  
Illustriss. principi à secretis intimis.

DN. ABELO SPIES  
præfecto ærarij dignissimo;

*Dominis Fautoribus ac Mecœnatibus ut  
summis, sic omni observantiae studio summè colendis.*

*Physicas basce de Elementorum qualitatibus positiones, in  
singulariæ observantia debitaq; gratitū-  
dinis monumentum  
submissè*

*offert consecratq;  
GEORGIVS FABRICIUS  
J. F. Respondens.*

Sine Elementorū qualitatib[us] tibi Elementa non possent intelligi.

## DE ELEMENTORUM QUALITATIBUS.

### Theorema I.

Quatuor sunt elementorum primæ qualitates. Arist lib. 2. de gen. & cor. c. 2.



Formis elementorum proximè & immediate fluunt quatuor prima qualitates, quibus mediatis adhuc aliæ quadam insunt, vulgo quas vocant secundas, & præter has dantur occultæ quadam qualitates, quarum causa ignoratur, de quibus omnibus, sed breviter, hac vice acturi sumus.

II. Contra numerum vero primarum elementorum qualitatum, hoc esse videtur, quod lux qualitas sit, quæ tamē ad secundas referriri nequeat. Si ergo non ad secundas: necessariò ad primas. Quare quinarius primarum qualitatum numerus constituendus. Verum sciendum est, hic non agi de qualitatibus cœli, sed elementorum. Quia itaq[ue] lux non ab elementis, sed ab astris provenit, non potest speciem qualitatum primarum in elementis constituere.

III. Sunt qui inficias eunt, subjectum primum quatuor primarum qualitatum elementa esse, è quorum numero est & Timplerius, qui non elementū sed corpus mixtum, primū harū qualitatū subjectū agnoscit, lib. 3 phys. cap. 1. q. 3. par. 2. propterea quod aëris nullam propriam, sibiq[ue] congenitam qualitatem habeat, sed modo calidus, modo frigidus, modo humidus, modo seccus existat. Sed distinguere debebat Timplerius inter proprias elementorum quali-

tates, & adventicias. Aër suâ naturâ est humidus & calidus, quando autem frigidus vel siccus evadit, hoc fit per accidens, si quidem varijs alterationibus est obnoxius. Ideoq; ab hac ipsius sententia divortium facimus, statuentes non corpus mixtum, sed elementa primarum qualitatum πενταρ δεκάρ esse, cum quod intermediate per eas agant, tum quod mixta, ratione elementi prædominantis, magis minusvè vel calida, vel frigida, vel humida vel siccadicantur.

IV. Reperiuntur etiam, qui cum Zabarella opinantur, qualitates primas à cælo elementis dari, quod tam in elementorum quā corporum mixtorum generatione, formas præcedant. Quanquam vero experientia & sensus testatur, nullam fieri vel corporum mixtorum generationem, vel elementorum transmutationem sine prævia alteratione, proveniente à primis qualitatibus: attamen elementa cum primū creatu fuere ab omnium rerum conditore, prima qualitates ipsis concreata sunt, quia nunquam vel extra elementa, vel ante elementa fuerunt, sed semper ab elementorum formis tanquam propria essentialia fluxerunt. Ut taceam, quod si cælum causa esset qualitatum, qualitates non primò elementū, sed cælo inessent, quod tamen est absurdum.

### Theorema II.

Qualitatum primarum quædam sunt activæ, quædam passivæ. Activæ, caliditas & frigiditas: passivæ, humiditas & siccitas. Arist. lib. 2. de gen. & cor. c. 2. t. 8. & lib. 4. Meteor. c. 1.

Ἐπεὶ δὲ τέλαιρε διώρεια ἀντα τῶν συγχέων, τέτων δὲ καὶ μὲς οὐλυμίας οὐκ τὰ συγχέα τέλαιρε οὐβεβηκεῖ εἴναι ὡν τὰ μὴ δύο ποιητικά, τὸ θερμὸν οὐκ τὸ ψυχεῖν. τὰ δὲ δύο ποιητικά, τὸ ξυ-

τὸ ξεῖν καὶ τὸ υγέον, inquit Philosophus lib. 4. Meteor. c. 1.  
Activa sunt quae vim agendi: passiva quae patienti habent.  
Has enim illæ in mixtæ productione terminant & uniunt. Non  
autem volumus, quod passiva, omnis prorsus actionis sint exper-  
tes: sed quod in generatione mixtæ, materialm reddant obedientem  
& idoneam impressionibus causarum agentium suscipiendis.

### Theorema III.

Caliditas est qualitas prima activa con-  
gregans homogenea, & disgregans heteroge-  
nea. Arist. lib. 3. de cœlo cap. 8. t. 74. & lib.  
2. de gen. & cor. c. 2. t. 8.

I. Præcipuum caliditatis officium est congregare homogenea.  
Simil autem quando homogenea congregat, per accidens hetero-  
genea disgregat, ut testis est Philosophus lib. 3. de cœlo c. 8. t. 74.  
η μὲν inquiens οὐ γραπτὸς εἰδότεστι. τὸ δὲ συνεχές η ἐνθετὸν τὸ  
νοέσθαι. η δὲ Διάκρισις η τυμπανηγμός. οὐ γραπτὸν τὸ δὲ ὄμφυλον  
εἰδεῖται τὸ ἀλλοτρεπόν. Intelligimus autem hic per homogenea non  
solum ea, quae sunt ejusdem speciei, sed & illa quoq; qua similem  
quandem qualitatem obtinent, ita ut in unam naturam converti-  
possint: quemadmodum per heterogenea, ea qua prorsus dissimi-  
lis sunt natura & conditionis, ob quam in unam aliquam natu-  
ram redigi nequeant.

II. Dubitari autem potest, an omnis caliditas accidens sit.  
Nam sunt qui elementū ignis nil aliud esse volunt, quam summum  
calorem; jam autem ignis non est accidens. Deinde potest quis in  
hunc modum argumentari: Accidens non producit substantiam:  
Nihil enim agit supra vires suas. Atqui quædā caliditas producit  
substantiam, vitalis nempe. Ergo non omnis caliditas erit accidens.

III. Verum distinguendum hic judicamus initio, inter sum-  
mum calorem, & ejus subjectum, cui calor iste inhæret. Ille est ac-

A 3

cidens:

cidens: hoc vero substantia. Quod si vero quis discriminem elementis  
ignis, & summi caloris, quale intercedere solet inter subjectum &  
eius affectionem haud agnoscere velit, istius sententiam meritò re-  
pudiamus, cum quod ignis sit ex materia & forma compositus, tum  
quod per se moveatur & subsistat, calor vero non item. Deinde  
inter agens principale & instrumentale. Et caliditas agens instru-  
mētale: forma vero à qua caliditas proficitur principale. Non ergo  
caliditas per se, sed forma mediante caliditate substantiā producit.

#### Theorema IV.

Frigiditas est qualitas prima aetiva, & ho-  
mogena & heterogenea congregans. Arist.  
lib. 2. de gen. & cor. c. 2. t 8.

I. Frigiditatem concurrere quoq; ad generationem mixti mani-  
festum est: habent enim seū calor & frigus ad humidum & siccum,  
tanquam cause efficientes ad materiam in quam agunt, οὐποὶ δὲ  
τὸ θερμὸν νόσοι ψυχέαν, κακούς τὸν ὑλην. Arist. lib. 4. Meteor.  
c. 1. Calor enim nisi temperetur à frigore, potius destruit, quam quod  
aliquid producat. Frigus mediocre ad nimium calorem tem-  
perandum aptū, idcirco esse animæ formatrixis instrumen-  
tum ait Dictator noster, & concrescere membra quædam  
frigore, ipsumq; esse, sicuti & calorē usui naturæ. Scal. exe. 22.

II. Hinc videre est, quod frigus minimè merè privativum quid  
sit, ut vult Cardanus, sed positivum. Nam initio effectus producit  
positivos, qui sunt heterogenea congregare, calorem obtundere,  
item astringere, densare, obstruere &c. Actio igitur frigiditati tri-  
buitur. Privatio autem non agit. Nullā habet actionem priva-  
tio Scal. exer. 18. Non quærimus quā ob causam non calefi-  
at à manu lapis: sed quare manus à lapide frigefiat. Non  
enim materia agit illa. Nam quo? Nempe qualitate fit actio,  
sed à forma. Frigus aget igitur, in multa materia multū, nō  
quia

quia non admittit calorē, sed quia admittitur à patiente Scal.  
exer. 19. Porro, nulla privatio potest definiri, nisi habitus ejus definitionem ingrediatur, cui opponitur. Frigus autem definitur, nullā factā mentione caloris cui adversatur, ideoq; non potest frigus esse mera privatio. Præterea frigus fixum & perpetuum quid est, cum in terrā tum in aqua. Nullum autem privativum perpetuum est & fixum in subiecto, sed mutabile & transiens. Quin etiam frigus nativa est elementi aqua proprietas sive affectio. Entis vero positivi etiam affectiones sunt positivae. Quare subjecta etiam, in quibus primò per naturam frigus inest, licet maximè calida reddatur: frigidam tamen semper naturam repetunt. Et quid opus est, ut in re tam manifesta diu immoremur, cum unusquisq; nostrum frigoris vim tempore hyberno satis experiatur? Soleas abiice facete Scaliger ad Cardanum ait, ac pileum Cardane, quo tempore ex Alpibus Ræticis urit vos Boreas. Frigidus enim est & siccus. At hoc hominum opinione constat. Opinio autem non efficit res. Sane privatio non repellit habitum, sed expellit. Nam quibus machinis expugnabitur capitis tui calor à frigore, si frigus nihil est? exer. 18. Hæc de activis, sequuntur passiva qualitates.

### Theorema V.

Humiditas est qualitas prima passiva, quæ difficulter suis, facile vero alienis terminis continetur & clauditur. Arist. lib. 2. de gen. & cor. c. 2. t. 9.

τρεπόντες τὸ οὐκείσον οὐκέπων ὄργανον, εἰδότες δὲ τὸν φύσιν, ait Philosophus, quam definitionem humidi carpit Scaliger. exer. 6. sect. 4. an vero humidi inquiens, sit illa bona definitio, quod suis terminis cohiberi non potest. Non est bona. Omne enim finitum suis terminis continetur. Sed illa: quod alienis terminis

nis

nis statuitur: paulò tolerabilior. Aliud enim est statui, aliud terminari. Sed quando Aristoteles humidum definit, quod proprio termino sit indeterminabile, non vult, esse infinitum, & essentia terminis terminari sive finiri non posse: verum proprijs terminis non coherceri, cum sit fluidum. E. g. Aqua effusa non potest se proprijs suis terminis continere, diffliuit enim: in vase autem, vel alio quodam receptaculo non solum se facile coherceri patitur, sed etiam ejus in quo continetur, figuram recipit.

### Theorema VI.

Siccitas est qualitas prima passiva, quæ difficulter alienis, facilè vero suis terminis continetur. Arist. lib. 2. de gen. & cor. c. 2. t. 9. &c. lib. 4. Meteor c. 4.

I. Definitur siccitas definitione planè contrariâ humiditatis definitioni. Ut enim humidum non suis, sed alienis: sic secum non alienis sed suis terminis clauditur, continetur, terminatur. E. g. lapis quando proicitur non diffliuit, sicut aqua, neq; etiam figuram aliis cuiusdam corporis continentis recipit, quemadmodum aqua, sed propriam suam figuram retinet, nunquam amittit.

II. Nec obstat, quod pulvis, qui tamen corpus est secum alienis etiam terminis contineri dicatur. Non enim pulvis ita est flexibilis, sicut aqua: quia non ita à corpore continente figuratur, ut aqua, sed propriam habet & retinet figuram quando coacervatur, ideoq; etiam extra corpus continens, per se subsistere potest.

III. Non vero siccitas est mera privatio humiditatis, ut etiam voluit Cardanus, quem refutat Scaliger exer. 18. Nam siccitas si non esset aliquid reale, non posset humidum in mixto subsistere. Licet enim humidum facilè alienis terminis continetur: eodem tamen non retinet, ideoq; necessaria est commixtio siccii, cuius beneficio termini per humidum concepti servantur. Praterea non potest

bumi*ii*.

humiditas intendi vel remitti, si non siccitas qualitas esset positiva.  
Omnis enim alteratio fit à contrario. Quia igitur humiditati  
siccitas contraria est, aliquid positivum sit necessarium est, si velit in  
eam agere. Hinc Scaliger ad Cardanum: Ex his, quæ diximus ex  
opinione tua, satis patet: si nihil sit humiditati contrarium,  
humiditatem intendi atq; remitti à se ipsa: aut hoc à calore  
pati, tanquam à contrario. At non erunt contraria, quia nō  
sunt sub eodem genere, exer. 18. Loquitur autem de calore non  
elementari, sed cœlesti ex mente Cardani. Quia igitur nihil est  
quod humiditati propriè contrarietur, nisi siccitas, siccitatem re-  
vera non Ens privativum, sed positivum esse oportet, cum con-  
traria ejusdem sint generis.

### Theorema VII.

Qualitates secundæ sunt tredecim: Densi-  
tas, raritas, gravitas, levitas, durities, mollities,  
crassities, ariditas, lubricitas, lento[r], friabili-  
tas, asperitas, & lævitatis.

I. De primis elementorum qualitatibus, que immediatè ac  
naturas elementis insunt, egimus: nunc de secundis que ex pri-  
marum temperatura proveniunt, ut testis est Philosophus lib. 2.  
de gen. & cor. c. 2. t. 10. agendum est.

II. Quia vero, ut dictum, hujuscemodi qualitates, que tacti-  
les vulgo dicuntur, quod tactu potissimum observentur, medianti-  
bus primis insunt corporibus, pro quadruplici primarū qualitatum  
consideratione, ad quatuor genera revocari possunt. Alia enim à cali-  
ditate: alia à frigiditate: alia ab humiditate: alia à siccitate oriuntur.

III. A caliditate oritur: 1. Raritas, que est qualitas secundum  
quam corpus habet partes inter se poris intermedij multum distan-  
tes. Sic Spongia corpus dicitur rarum. Verum non omnia rara ca-  
lida. Rarum dupliciter dicitur. Aut quia translucidum, ta-

meti partium cohaesione multa praeditum sit, ut aqua, quæ frigidissima. Aut alio modo. Cujus aliquas partes inter, & alias partes, aliis generis minus solidum aliquid intersit. Scal. exer. 74. sect. 8. Non autem rari, ut nec densatio ex multitudine vel paucitate materia sumitur, ut volebat Cardanus. Quia corpus idem nulla facta materiæ accessione, decessione rarum fiet, aut densum: Densatio namq; & rarefactio fit ex partium dispositione, sequiturq; vel caloris, vel frigoris vim. Scalig. exer. 4. 2. Levitas, quæ est qualitas, secundum quam corpus sursum tendit. Sic pluma corpus leve est. Quemadmodum autem est differentia in corporibus levibus, sic etiam in motu eorumdem. Ut enim ignis corpus simpliciter leve est: ita etiam simpliciter sursum movetur, ut docet Philosophus lib. 4. de cœlo c. 1. In reliquis vero corporibus mixtis aliud alio semper est levius.

IV. Ab frigiditate: 1. Densitas, quæ est qualitas, secundum quam corpus partes habet constrictas, & solidè coherentes. Sic plumbeum corpus dicitur densum. Quemadmodū autem non omne rarum est calidum: Sic nec omne densum est frigidum. Densa quædam valde calida sunt, ut gummi Thasiæ & Euphorbiæ. Scalig. exer. 74. sect. 8. 2. Gravitas, quæ est qualitas, secundum quam corpus movetur deorsum. Sic lapis dicitur corpus grave.

V. Ab humiditate: 1. Mollitas, quæ est qualitas, secundum quam corpus tactui facile cedit. Sic prunum corpus dicitur molle. Est γλαυκὸν τὸ ζεῦν τὸ μὴ ἀντεῖσθαι. Arist. lib. 4. Meteor. c. 4. & lib. 2. de gen. & cor. c. 2. t. 13. Est autem humidum molle omne. Hinc Scaliger ad Cardanum: Non ausim siccorum quicquam molle, veluti tu hic facis appellare. Nam mollia faxa cum legimus, id ab humore ductum est, exer. 134. 2. Lentor, qui est qualitas secundum quam corpus partes habet tenaces & viscosas. Tale corpus est pix. Scaliger ita definit: Lentū est quod tractu aut compressione dissipari facile nequit, cessione vincentis, non resistentia, exer. 299. sect. 3. 3. Lævitas, quæ est qua-

litas,

litas, secundum quam corpus superficiem habet planam & aqua-  
bilem, ut gemma. Læve est in quo tangendo fit motus con-  
tinuus & æqualis. Scalig. ibid. 4. Lubricitas, quæ est qualitas,  
secundum quam corpus tactum facile effugit. Sic anguilla lubrica  
dicitur. Τὸν γλιγὸν, ὁργὴν τετυπόση πέπιστον. Arist. lib. 2. de gen.  
& cor. c. 2. t. II.

VI. A siccitate denig, provenit, 1. Durities, quæ est qualitas,  
secundum quam corpus partes habet magis compactas, & difficul-  
ter tactui cedit. Sic as dicitur durum. συληγὲν χάρη ἐστὶ τὸ πεπηγός.  
Arist. lib. 2. de gen. & cor. c. 2. t. 13. item: ἐστὶ δὲ συληγὲν μῆρα τὸ  
πεπηγόν εἰς τὸν ἀλόγον τὸ θύμηδον, lib. 4 Meteor. c. 4. 2. Crassi-  
ties, quæ est qualitas, secundum quam corpus neg. subtile est, neg.  
facile penetrabile. Sic ferrum corpus est crassum. 3. Ariditas, quæ  
est qualitas, secundū quam corpus omnis fermè humoris est expers:  
Sic arena arida est & dicitur. Κραύεν τὸ τελέως ξηρὸν, ὡς τε  
νῆται τοιούτοις διακρίνεται. Arist. lib. 2. de gen. & cor.  
c. 2. t. 12. 4. Asperitas, quæ est qualitas, secundum quam cor-  
pus partes habet scabras & inaequales, ita ut tactum offendat. Sic  
pumex corpus est asperum. Est asperum cujus partes minores  
superficiei non sunt æqualiter continuæ: Scalig. exer. 299.  
sect. 3. 5. Friabilitas, quæ est qualitas, secundum quam corpus par-  
tes habet haud firmiter coharentes, ob quas etiam facile atteritur.  
Sic sal corpus dicitur friabile. Friabile nihil aliud est, quā conti-  
nuum, quod facile discretum fieri potest. Scal. ibid. Et tan-  
tum de qualitatibus secundis, sequuntur occultæ.

### Theorema VIII.

Qualitates occultæ sunt vires absconditæ  
& latentes, quarum effectus sensu deprehendi-  
mus quidem, causam vero ignoramus.

Ad multarum rerum intellectionem mentis nostræ dire-  
ctam aciem tam imbecillam esse, quam ad solem intuendum  
Nycti-

Nycticoracis est oculus, fateretur cum Aristotele Scalig. exer. 1.  
sect. 1. item : aciem nostri ingenij parum constare ad arcana  
meditanda exer. 307. sect. 17. Quod adeò manifestum est, ut ei ob-  
loqui qui velit, non tantum sensus, sed & rationis judicio destitui-  
videatur. Sunt quidem, qui omnium rerum causas etiam abditissimas  
optimè se eruere posse gloriantur, & occultas proprietates  
detestantur, easq; inscitiae asylum contumeliosis verbis vo-  
cant Scalig. exer. 344. sect. 8. Sed illis opponimus acutissimum ar-  
cutissimi & doctissimi Scaligeri judicium exer. 218. sect. 8. Ad ma-  
nifestas omnia deducere qualitates, summa impudentia est,  
id quod Andrei multum & frustra conati sunt, & teme-  
re instituerūt. Itē: Qui ad elementorū manifestas omnia redu-  
cūt qualitates, ipsi nihil aliud sunt, quā elementa, exer. 344. § 9.

### Theorema IX.


Qualitatum occultarum duæ sunt spe-  
cies: Συναίδητα una: αὐτοποιήτα altera.

Illa est mutua quadam & naturalis affectio sive conspiratio in-  
ter res physicas, ex peculiari & occultâ cognatione orta: Hac vero  
naturalis quadam inimicitia & repugnantia. Exempla οὐ μεθέδειας  
conspiciuntur inter lapidem Herculeum & ferrum; inter lacertam &  
hominem; inter rutam & sicum; αὐτοποιήτa inter elephantum &  
murem; inter lupum & ovem; inter pullum & milvum. Hujus rei  
causam investigare quidem licet, sed invenire vix quispiam poterit.  
Nam & in natura multa arcana. Hinc ingenuè Scaliger fa-  
tetur se nescire, unde efficacia illa, quod Adamas hirci sanguine  
rumpatur. exer. 344. sect. 8. Idem & nos quoq; fateri necessum ha-  
bemus. Plura vide apud Scalig. exer. 344. Fracostor: lib. de symp.  
& antip. Fernel: de abditis rerum causis.

### COROLLARIA.

1. An plures sint primæ qualitates, quam quatuor? N.
2. An ambe qualitates in quolibet elemento sint in summo  
gradu? D.
3. An homo jejonus seipso pranso sic gravior? A.









306. sect. 20. in hæc verba erumpens: Omne quum principium, aut à primo principio. Unia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia ruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; natura: nunquam vero corruptitur; nunquam immortalitate Deus ipsum donavit.

### Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem dare licet. Nam 1. Angelus tantum, & aingunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se possunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

### Theorem III.

Angelus est spiritus, qui per se in corpore, sed semper extra corpore.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore, sed semper extra corpore. per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant bona est. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi co-

359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora nunt, & natura eorum non est, corporibus v

formare, meritò per se ab omni corporis unione.

II. Sunt vero Angeli in duplice differenza boni: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essens, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur.

Quicquid autem à Deo creatum est, bonum

A 3

